

e Philo lib. Quod maddus sit incorruptus. pag. 940. 941.

f Aristas de Septuaginta. Interpp.

tiam ab Hesiodo deduxisse. Verum, addit Philo (e), Longè antiquior Moses legifer docuit Judæos, mundum esse genitum & incorruptibilem, quod scriptum reliquit in sacris Voluminibus.

Aristas, ex quo Aristobulus, Philo, Josephus, ceterique post illos Patres hauserunt omnia, quæ de Versione Sacrorum Librorum ex Hebræo in Græcum sub Ptolemæo Philadelpho literis mandarunt, Aristas, inquam (f), nunquam in mentem sibi induxerat, Philosophos Mosaicorum. Scriptorum aliquid adoptasse, quamquam alioqui assereret, ante Ptolemæum Versionem aliam, minùs quidem probatam, portionis saltem Scripturarum obtinuisse. Namque Demetrius Phalaræum loquentem inducit, Hebræorum scilicet Libros eò plus Regias sibi curas & thesauros mereri debuisse, quò Leges contineant Sanctitate & Divinitate cæteris omnibus præstantiores. Hujus verò doctrinæ, ait, si nulla unquam mentio occurrit apud Scriptores, Poetas & Historicos ceteros, id in causa fuit, teste Hecateo Abderitâ, quòd puritate & sublimitate suâ nimis extollerentur. Ex quo verò ornate jam Versionis lectio facta est coram Rege, admirari se dixit idem Rex Demetrium allocutus, Opus illud, verè divinum, Philosophos omnes & Poetas fugisse. Cui Demetrius Legis illius Sanctitatem & Divinitatem nunquam violari profano ore debuisse, respondit; unde Scriptores quosdam aliquid ex illis in sua Scripta traducere satagentes, Divine ultioni pœnas dare coactos ab incepto desistisse.

Adjecit Demetrius, Theopompum, quòd talia auderet, è statu mentis subito decidisse, nec nisi post mensem sui compositum factum. Cùm autem lucido aliquo intervallo eo temporis spatio uteretur, rogaretque interim Deum, ut causam insidii sibi morbi tandem aperiret, per quietem certior factus est, id in sum caput ultionis provocasse, quòd secreta & digna silentio pandere ausus fuisset. Quare ab incepto statim desistens, sanitati mentisque actum restitutus est. Ita pariter, addidit Demetrius, referentes audivi, Theodectum Poetam Tragicum volentem in sua carmina aliquid de Libris Mosaicis traducere, statim luminibus captum temeritatis suæ luisse pœnas, nec nisi precariam sanitatem recepisse.

Non ego quidem pro historia Aristæ & relatis ab eo exemplis vadem me exhiberem, neque enim me fugit quid contra ejus historię veritatem scripserint sapientissimi plures viri, uti Valesius, Cardinalis Bona, Josephus Scaliger, Hody, Vandale, alique plures, ad fabellam quantam quantam illam amandantes. Nec sane facili negotio objecta ab illis in eam historiam plura diluerentur; e. g. quòd Aristas Græcum se, Paganum, & Præfectum in Aula Regis Ptolemæi Philadelphii jactaverit, cùm interim nunquam se non Judæum quàm in verbis quàm in silo Hebraïsmis redundanti demonstret: testatur insuper, Demetrium Phalaræum Bibliothecam

Regis curasse, cùm testimonio Hermippi apud Diogenem Laertium constat, Demetrium, quòd partibus Ptolemæi Soteris adversus Philadelphum favisset, in exilium, ad cum apud Aspidis morsu sibi necem concivisse, Philadelpho Regno incunte. Ad hæc, Demetrium, Græcorum suâ ætate eloquentissimum, barbaro quodam eloquio differentem inducit Aristas, & indigna viri ingenio, eloquentiâ, & eloqui puritate effutientem. Laudat etiam Demetrius apud eundem Aristam testimonium Hecatei, tanquam Authoris vetusti, cùm alioqui suppar esset ætate. Epitaphium commemorat, quòd tamen post Philadelphum Regnum constructum est. Meminit pariter vicinioræ Regis Ægypti ex Antigono, tanquam eo tempore relata; quo Septuaginta Alexandriam venerant, cum factum illud ad Regnum alterius Ptolemæi pluribus post Philadelphum annis pertinereat. Literæ ad Eleazarum Sacerdotem summum, sicut vicissim Eleazari ad Regem, Demetrii pariter sermones eundem simplicissimum stilum referunt. Plura etiam in rem præsentem observari potuissent, quibus fabellæ suspicio promoveretur. Quòd autem nostrum intentum maximè evincit, illud est, nimirum Scriptorem illum Judæum planè, & quidem vetustissimum, quippe ejus Scripta norint Philo. & Josephus, nequid dicamus de Aristobulo & Alexandro Polyhistoro, quorum est dubia auctoritas, Authorem, inquam, illum nunquam sibi persuasisse, profanos Authores Sacris Judæorum Scripturis aliquid debere. Quæ de antiqua Græca Scripturæ Versione ante Ptolemæum Philadelphum in eodem Libro asseruntur, infra in examen revocabimus.

Porro hoc Scriptoris testimonium, negantis Paganos aliquid de Scripturis Divinis nosse, eòd pluris faciendum est, quòd Josephus (g), Clemens Alexandrinus (h), Eusebius (i) alique plures post ipsum, & adoptandum sibi illum & non sine elogio referendum duxerunt. Origenes non concedit quidem Celso (k), Platonem aliquid è Scriptis Mosaicis expressisse, sed illud tantummodò sibi demonstrandum suscipit, Moysen & Prophetas multò esse Philosopho illo vetustiores, ut non nisi per summam impudentiam assereretur, Scriptores Hebræos Platonem ætate se planè inferiore imitatos fuisse; idemque Origenes in suo Commentario in Canticum Canticorum, (l) quem S. Hieronymus è Græco in Latinum transtulit, hæc habet: Nunc Moysi nomen auditur, quòd prius Judæa tantum claudebatur angustis. Neque etiam Græcorum quisquam meminisse ejus, neque in ulla gentium literarum historia de illo seu cæteris scriptum aliquid invenimus. Novit pariter Josephus Græcorum Historicorum eâ de re silentium (m), cujus rei hanc sibi rationem censuit reddendam, nimirum nunquam illos nostros Libros legisse; additque Demetrium Phalaræum, veterem Philonem, & Eupolemum, de illis aliquid, sed minùs exactè & sincerè tradidisse; quòd scilicet neque il-

illorum historias consulissent, neque ad res ejusdem gentis animum applicassent.

Tertullianus, cujus supra mentem expressimus (n), aperto licet testimonio asseruisset, Prophetas & Philosophos aliquid unde discerent & Opera ornarent sua, è Scripturis Sanctis quasivisse; alibi tamen eam loquendi rationem usurpat, ut priorem illam sententiam num satis ipse probaverit, incertum reliquat. Quemadmodum, ait, per obscuræ noctis opaca atque per oppanas Cælo nubes furtivus aliquis lucis radius transpirat; sicut mille fluctibus agitata navis, atque infans temperatis furorè jactata prospero interdum errore in portum insperatò depellitur; ita pariter Paganis Authoribus radius subinde quidam affulget, qui cæcâ nocte agentibus, cæcâ quadam, ut ita dicam, felicitate vera nonnulla demonstrat: sed & naturâ pleuraque suggeruntur quasi de publico sensu. Non inde tamen jure inferitur, eos qui talia loquuntur, Prophetas Judæorum consuluisse; plus enim diversitatis invenias inter Philosophos quàm societatis, cum & in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur. Addit pariter: vera quoque & consonantia Prophetis aut aliunde commendant, aut aliorum subornant cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falsis, aut patrocinari.

S. Augustinus nunquam alioqui sententiarum affinitatem inter Platonem & Scripturam admiraretur, nec semel significaverit non alienum esse se ab eâ opinione, potuisse à Philosophis quædam è Libris Sacris decerpi; non ita tamen patronum se ejus sententiæ constituit, quin contrariam etiam quandoque demonstrandam suscipiat. Philosophi hujus mundi, ait ipse, (o) æternam & immutabilem veritatem prospexerunt quidem, sed iter ad illam deducens penitus ignorarunt. Creatorem per creaturas detexere, & in cognitionem Authoris mundi ex eodem mundo venerunt; sed veritatem in iniquitate detinent. Non illis Deus sine Lege sive revelatione manifestatus est; sed invisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt. Nihil igitur ad Philosophorum illorum doctrinam sive Lex, sive Scripturæ Judæorum, quas, ipso eodem S. Doctore fatente, Græcorum literis eorum ætate nondum traditas fuisse constat [p].

Potuisse Platonem, cæterosque dogmata sua è Scriptis præcedentium Philosophorum, & Poetarum derivare, idem S. D. alibi (q) agnoscit. Nec abs re quidem suspicaremur, Platonem plura, quæ in Scriptis suis expressit, è Schola Socratis didicisse; Socrates verò, cùm in Ægyptum venisset, viros doctos, & Sacerdotes ejus gentis consuluerat. Anaxagoræ, & Euripidi eadem sedebat opinio de creatione Mundi ac Ægyptiis, nec multum ab illa Aristophanes abhorruit (r). Quis autem dixit unquam Scriptores illos Sacra Hebræorum Scripta suffuratos? Anaxagoras Socrate vetustior erat; Euripides, & Plato eundem Socratem audierunt; ad eandem ætatem Aristophanes pertinebat. Non erat igitur

tur cur Plato ex urbe Athenarum digrederetur, quò dogmata illa in Scriptis suis expressa disceret; dogmata, inquam, illa, quæ non nisi è Scriptura repetere illum potuisse adversæ sententiæ assertores contendunt. Omni ætate, & apud omnes æquè gentes veteres quædam traditiones obtinuerunt de natura Dei, de creatione Mundi, & diluvio, quæ nulla rerum vicissitudo è mentibus hominum excutere valuit; sed traditiones illæ majori fide apud Barbaros servatæ sunt, quàm apud Græcos, quemadmodum ab Augustino observatum est (s).

Confusam earum rerum variis Scriptorum opinionibus notionem Lactantius (t) scitè admodum explicans, non negat illud quidem plura esse quàm in verbis, quàm in rebus inter Poetas, & Philosophos cum Scripturis affinia; sed hæc omnia aliunde repetenda esse demonstrat, quàm ut è Sacris Libris suffurati Paganis crederentur. Profecò illi nullas literas veritatis attigerunt; sed semina quædam veritatis è fabellis, & præcis Populorum traditionibus, quæ in scriptis suis deinde sererent, sedulo collegerunt: Quæ Prophetarum vaticinio tradita in sacrorario Dei continebantur, ea de fabulis, & obscura opinione collecta, & depravata, ut veritas à vulgo solet.... carminibus suis comprehenderunt.

Mirari se alibi significat (u), Pythagoram, & Platonem, qui discendi gratiâ Ægyptum, Chaldæam, & Persidem decurrerunt, quòd varios eorum populorum mores, & religionem spectarent, ut in Judæam venirent, ubi situm suam discendi extinguere maximè potuissent, ne cogitasse quidem: sed aversos esse, inquit ille, arbitror Divinâ providentiâ, ne scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri, justitiamque noscere. Tanta enim hominibus referare, supremi erat hominum Institutoris, qui venturus expectabatur.

Quæcumque igitur spectetur sententiarum affinitas inter Philosophos, & Sacros Authores, nunquam tamen certum ex ea deduci potuisse arbitror argumentum, quò plagii reos Philosophos illos accusemus. Poterant utriusque ex uno eodemque fonte hausisse: Deus veritatum omnium author est, & origo. Scripserint licet Sacri Authores peculiari quodam Spiritu afflati, non eo tamen prohibebantur, quin plura noscerent, sive studio, sive experientiâ, sive meditatione, sive sensuum conscientiâ. Lumen naturale æquè omnibus hominibus affulget, & summus omnium Præceptor, quicumque ejus verbis intimam cordis aurem præbent, omnes docet. Quæ mortales circumstant, hæc intentos auditores docent omnes. Inter ea quæ in Philosophorum lectione animum percellunt, nunquam gestorum narratio aliqua, rerum circumstantiâ, nomina, adscriptiones temporum, & singulares quædam loquendi rationes non nisi è Sacris Libris derivandæ occurrerunt unquam? Profecò exceptis generalibus quibusdam notionibus de natura Dei, de lege naturali, de officiis, imbecillitate, atque magnitudine hominis, quo affini-

n De Anim. pag. 305. 306.

o Serm. 141. de Ver. Jo. 10. 5. pag. 682. 683. nov. edit.

p De Civit. l. 8. cap. 11.

q Ibid. l. 8. c. 12.

r In Avibus.

et dicitur...

et dicitur...

g Antiq. l. 12. c. 2. h Strom. l. 11. i Præp. l. 11. k Cont. Cel. l. 6.

l Apud Hier. 10. 2. pag. 812. nov. edit.

m Adv. Ap. p. 1. 1. pag. 1051.

s August. lib. 18. cap. 37. de Civit. t Lactant. de Origine Erroris lib. 2. cap. 11.

u De vera Sap. l. 4. c. 2.

tas illa spectetur nihil erit. His autem omnibus detegendis solâ meditatione naturali lumine admoto opus est.

Nulla vel ferè nulla in Religione veritas occurrit, quæ sectam aliquam Philosophorum in sui patrocinium non vindicaverit, juxta ac Lactantius animadvertit (\*): Nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Sed quemadmodum idem Scriptor adjecit, totam veritatem, & omne Religionis arcanum Philosophi attigerunt; sed aliis resellentibus, defendere id, quod invenerant, nequiverunt; quia singulis ratio non quadravit. Profectò si omnes & Scriptoris decerpta tradidissent, cur inter se discrepant, nihil esset. Religionis systema unico jungitur contextu in Sacra Scriptura, parum sibi constat apud Philosophos.

Supereft modò in examen revocemus, num ante Ptolemæi Philadelphi Regnum vetus quædam obtinerent Græca, sive omnium sive partis tantùm Scripturarum Versio, ab ea prorsùs diversa, quæ hodie nomine Septuaginta vulgata est. Eam sententiam tenuisse fictum illum Aristæam in superioribus animadvertimus; loquentem enim inducit Demetrium Phaleræum, quasi scilicet audivisset, Theopompum quemdam decerpere quædam voluisse è Versione jam inde adornatâ, quamvis minus exactâ neque omnibus numeris absolutâ, statimque è statu mentis emotum pœnas luisse. Rem quidem neque assertò narrat Aristæas, neque documentis probat; sed aliorum relatione audita scribit. Plus aliquid addit Aristobulus [y], disertissimis verbis asserens, ante Demetrium Phaleræum, quin & ante Imperium Perfarum, & Regnum Alexandri Magni, adornatam fuisse Græcam sacrorum Librorum Versioem; qua Græcis literis traderetur historia exeuntis ex Ægypto populi, cum & omnium, quæ à Deo pro Hebræis edita sunt, prodigiorum, Legis Mosaicæ, & traditæ in potestatem populi Chanaanitidis; quibus verbis non obscure significantur Libri omnes Moysi, & Josue, ac Judices.

x Lactant. de Divino premio l. 7. cap. 7.

y Aristobulus apud Clement. Alex. Strom. lib. 1.

Verùm minor est etiam hujus Scriptoris quàm Aristææ fides. Si quæ fuerat Græca potissimum Scripturæ Librorum versio, Platoni, cæterisque Philosophis non incognita; cur tantis verbis Demetrius necessitatem & arduitatem nove hujus Versiois exaggerat? Ut quid procurandæ novæ eorundem Librorum Versiois Regis Ægypti thesauri impenderentur? Si enim ad unam summam redigantur quæ per eam occasionem profusa ab Aristæa narrantur, profectò non minor constabit quàm ultra 1200. talentorum, nempe 3225600. librarum, pro singulis talentis Ægyptus 2688. libris computatis; intolerabilis è ætate etiam pro Rege Ægypti profusio. Adde Versioem Græcam Sacrorum Librorum ante Cyri & Perfarum Regnum nulli bono futuram; neque enim sive Judæorum ultra Euphratem sive in Ægypto versantium usui fuisset, neutri enim Græcam linguam callebant; Græcum enim eloquium in illis regionibus non nisi post Alexandrum, & Imperii Perfarum everisionem obtinuit. At enim valebat pro Græcis sub Cyro in Asia Minori degentibus? Esto, sed quibusnam argumentis laboratum esse pro illis demonstraretur? Quin & Græci illi si quando in suam linguam translatos Sacros Libros habuissent, nunquam sanè quærendos illos in Ægypto suscepissent; neque eâ ignoratione rerum Judaicarum tenerentur, ut ne nominis quidem illorum in suis Operibus meminissent. Fabulam planè sapiunt ea, quæ de ultione Divina in Theopompum, & Theodectum, quædam de sacris Libris exscribere in suis Operibus tentantes, ab Aristæa referuntur. Est igitur dubitandi locus, num Philosophi Ptolemæi Philadelphi vetustiores de Lege Dei divinisque Scripturis aliquid noverint; vel si quid audierant, id sanè leve admodum & confusum potius ex relatione & consuetudine cum Hebræis, quàm ex lectione eorum Librorum deducendum creditur. Hæc, quantum sapiamus, probabilissima de questione hæc ambigua dicenda suppetebant.

a Eccl. 2. 4. 5. 6.

b Eccl. 12. 9.

c In Eccl. 12. 11. 12.

d Eccl. 7. 6. Sir (per Sam. mech) Olla 12. 5. asijonab 8. 1. peschar 10. 8. lemas.

IN ECCLESIASTEM PROLEGOMENON.

Hebraicè inscribitur Liber: Coheleth, quod scemini nomen est, ad literam sonans, quæ publicum alloquitur, seu cœtum. convocat. Sed genere nominis neglecto, Septuaginta, & post illos Latini verterunt Ecclesiastes, quo Græco nomine Orator, seu pro concione loquens vir indicatur. Illud sibi nomen, in toto operis decursu usurpat Salomon, iisque se characteribus exprimit, qui soli quadrant, ut illud tituli: Verba Ecclesiastæ (Coheleth) filii David Regis Israel. Opera sua, divitias, ædificia (a), Scripta pariter, & maxime parabolas (b) non silet. Sententiosus ejus stilus ubique regnat, seque præcedentium omnium, qui in Jerusalem floruerunt sapientissimum, ditissimumque perhibet; quibus omnibus dubitatio de illo universa subducitur.

Non desuerunt tamen è Criticis, qui falsò inscriptum Salomoni Opus suspicarentur, ejusque Regis personam induisse. Scriptorum, doctum alioqui, qui exercendi ingenii gratiâ Opus illud suscepit, Salomonis omnia, stilum nempe, & res ipsas exprimens; quemadmodum Græcus Author Libri Sapientiæ eodem consilio stilum & conceptus Salomonis in suo Opere affectat. Diù post Salomonem scriptum Opus Grotius Præfat. in Eccl. suspicatur; & alibi (c) ab aliquo Viro docto jussu Zoroabelis digestum credit, ut æternum pœnitentiæ Salomonis monumentum flaret: in capite verò 12. 12. ad filium ejus Abiud sermonem converti suspicatur illis verbis: His amplius, fili mi, ne requiras. Movetur autem, quòd in eo Scripto plurima deprehendat aliena à puritate eloquii Judaici, quæ nonnisi in Esdra & Daniele recurrit. Sed Calovius, qui omnia sedulo examinavit, collectis pariter vocibus Chaldæis, quas sparsim Grotius in suo Commentario annotavit, nonnisi quatuor offendit; (d) è quibus duo pariter ex Hebræo dubio procul deducuntur. Duæ reliquæ Chaldææ quidem vel Arabicæ sunt voces, facillè apud Hebræos ætate Salomonis obtinentes; cum enim quantum latè pateret Hebræica lingua nostro sæculo ignoreretur, contingere facillè potuit, ut plura contineret, quæ hodie nonnisi in linguis Chaldæa & Arabica perseverant. Quid insuper prohibet, Salomonem aliquas finitimarum gentium voces usurpasse?

Author opinionum quorundam Hollandorum Theologorum testatur, non deesse qui credant, Dialogum toto eo Libro scribi inter pium aliquem virum, & im-

pium dogmata Sadducæorum defendentem. Occurrunt quidem in illo, ait, plura inter se repugnantia, quæ ab uno eodemque vix scriberentur. Sed quod æqui bonique ferant Scriptores illi, affirmandum suscipimus, ne vestigium quidem Dialogi in eodem Opere deprehendi. Plura quidem sanè repugnantia scripta ab Authore fatemur; sed Oratoris ille personam gerit & Principis, qui pro concione populum suum instituens, impiorum cavillos proponendos sibi & refutandos suscipit; vel si mavis suos ille prioris ætatis sensus prodit, quàm absurda & ridenda olim saperet simul demonstrans. Uno verbo viri sapientis personam gerit in utramque partem disputantis, qui post expositas varias alicujus rei sententias, omnia ponderat, omnia discutit, & æquâ judicii lance utriusque partis momenta librans, tandem in saniorum inclinât. Occurrunt in eo quidem Sadducæorum & impiorum opiniones, quibus tamen Author nunquam adhæret; alteram vitam agnoscit (e); simul & præmia pœnasque post obitum [f]. Laudibus profequitur sapientiam, virtutem, justitiam; Orationem suam claudens, in eo totam hominis rationem sitam esse prodit, si Deum timeat, ejusque præceptis obsequatur (g).

Verùm ne ultra immoremur cavillis refutandis & conjecturis, quas turbide quædam mentes, inquietæ, superbæ, sua tantùm studentes, promovent, de quibus Apostolus (h) prodit, in speciem tantùm doctrinam & pietatem colere; blasphemis verò profcindere, quæ minus assequuntur; & divinas Scripturas ac Libros quosque prophanos perinde habent; in proferendis illi conjecturis suis de Authoribus Sacris, in rejiciendâ Ecclesiæ & probatissime vetustatis autoritate procaciores sunt, quàm si de proferendo in Authorem aliquem classicum judicio ageretur. Deferendum enim illi aliquid tunc saltem censerent judicio Criticorum & diuturnæ ac nunquam turbatæ Scriptoris, cui Opus aliquod longâ ætate vindicatum est, possessioni. Cum verò de Libro aliquo Divino res est, nullam sibi regulam præter malum illum genium Criticum & censores agendi, tum & supra cæteros parendi, constituunt. En Ecclesiæ Jesu Christi reformatores, suæ pariter communionis viris odiosi, imbecillioribus perniciosi, nec cæteris omnibus minus noxii, qui minus cautè nullum dolum suspicati ad eorum scripta legenda se conferunt! Veh illis, qui cæco contra Mosaicum præceptum offendiculum ponunt (i). Salva enim sunt omnia vi-

e Eccl. 11. 8.

9.

f Eccl. 12. 14.

g Eccl. 12. 13.

h 2. Timoth. 3.

i Eccl.

i Levit. 19. 14.

ris